

gandi, teneturne juramentum servare? Non sibi concordant auctores. Plures negant, quia Deus juramenta promissoria non acceptat, nisi secundum intentionem jurantium, et ad confirmationem hujus rationis plura exhibent testimonia juris canonici, *S. Thomæ* et aliorum theologorum. Multi vero alii tenent juramentum esse servandum; nam qui jurat cum animo jurandi, verum emittit juramentum, et propter divini nominis honorem tenetur, quantum in se est, efficere ut quod juravit sit verum: dicere obligationem separari posse a vero juramento, est subtilitas absurda. Utraque opinio probabilis videtur *S. Ligorio*, qui tamen priorem æstimat probabiliorem, quia posterior supponit ut certum quod in quæstione est, scilicet juramentum sine intentione se obligandi verum esse juramentum. Aliunde juramentum naturam promissionis quam confirmat sequitur: at promissio sine animo se obligandi non est vera promissio: ergo nec juramentum, etc.

6° Qui cum animo jurandi et se obligandi jurat, sine vera intentione adimplendi, mortaliter peccat, siquidem deest veritas, et insuper rem promissam adimplere tenetur; habuit enim, ut supponitur, intentionem jurandi et se obligandi: obligationem igitur sibi vere imposuit: ergo, etc. Qui simpliciter jurat, jurare volens, licet de obligatione juramenti non cogitet, obligationem reipsa contrahit eamque tenetur adimplere, quidquid de illius adimplentione sibi proposuerit.

7° Si objectum juramenti sit futile et vanum, *a fortiori* si aliquid jactantiæ contineat, v. g., si quis juraverit se talem distantiam intra quinque minutas esse transiturum, se tale onus portaturum, tot vini modos esse bibiturum, etc., ad hæc facienda non tenetur; repugnat enim hæc propter honorem Dei fieri. Hinc, ut sapienter notat *S. Ligorius*, cum *Layman* et aliis, n. 186, parentes et domini jurantes se filios vel famulos esse punituros, raro peccant si juramentum non impleant, vel quia delinquentes jam emendati sunt, vel quia emendationem promiserunt, vel quia juramentum fuit de futili, vel quia

jurantes intentionem jurandi et se obligandi non habuerunt, sed tantum terrendi.

8° Ubi autem res sub juramento promissa est licita, et saltem utilis, id est vergens in honorem Dei vel utilitatem proximi, nec impedit majus bonum, stricta existit obligatio, vi juramenti, eam præstandi; qui enim suam promissionem juramento confirmavit, Deum in testem suæ fidelitatis adduxit: si ergo rem promissam non præstet, Deum falsi testem inducit quantum in se est, ac proinde graviter illum offendit, saltem si materia sit gravis: omnes consentiunt. Si autem materia sit levis, non ita sibi concordant: *Cajetanus*, *Lessius*, *Bonacina*, *Collet* et alii dicunt peccatum esse mortale, quia Deum facere testem falsi, leve peccatum esse non potest; res promissa, quæ levis quidem esse potest, non est objectum actus juramenti, bene vero honor Dei: at honor Dei nunquam leviter sumi potest: ergo.

Alii communius, ut *S. Antoninus*, *Sylvester*, *Soto*, *Navarrus*, *Suarez*, *Sanchez*, *Sylvius*, *Antoine*, *Billuart*, *S. Ligorius* docent obligationem juramenti in eo casu esse tantum sub veniali; nam, inquiunt, 1° qui rem aliquam promittit cum juramento, Deum invocat ut testem sui propositi: unde si fecte promitteret, perjurii ac consequenter gravis peccati etiam in materia levi reus esset. Sed ubi sincere promisit ac juravit, et, voluntate mutata, rem promissam non præstat, est tantum infidelis, et non perjurus. Hæc autem infidelitas est gravis vel levis, secundum materiam; non vero essentialiter mortalis, etsi aliquam contineat irreverentiam erga Deum, propter juramentum. 2° Qui in humanis contractibus adducitur ut testis, non censetur falsus testis si obligatio contractus non impleatur, licet aliqua ei fiat injuria; sed tantum si res, in momento contractus, non fuisset ut ipse testimonio suo confirmabat: ergo a pari, etc.

9° Si res sincere promissa et jurata sit gravis, et modica pars ejus omittatur, ut certum habetur peccatum non esse mortale, quia non existit perjurium in jurando, nec gravis fit injuria Deo in modicum partem omittendo. Hinc,

ut ait *S. Ligorius*, n. 173, cum *Busenbaum* et aliis, qui juravit se non bibiturum vinum, mortaliter non peccat parum bibendo; qui jurant servare statuta alicujus capituli vel alterius communitatis, a mortali excusantur si parum aliquod statutum postea violent. Item qui juravit se aliquam pecuniæ summam daturum pauperibus, et aliquid parvum detrahit; qui juramentum fidelitatis et obedientiæ præstitit prælato, principi, etc., et in rebus parvi momenti suæ promissioni deest, mortaliter non peccant.

10° Promissio serio facta et acceptata dat jus reale, et transit ad hæredes; obligatio vero juramenti est vinculum personale, ac proinde nunquam transire potest ad jurantis hæredes; hi tamen onera realia ejus cui succedunt implere tenentur, sed non vi juramenti.

11° Qui obedientiam aut fidelitatem alteri ratione dignitatis et officii juravit, v. g., Papæ, episcopo, principi, cunctis successoribus ejus in eadem dignitate vel officio, vi juramenti sui obligatur; quia non tali homini jurasse censetur, sed talem dignitatem habenti, et sic habetur in *Decretal.*, l. 2, tit. 24, de Jurejurando, cap. 14.

Advertendum quod in juramento fidelitatis et obedientiæ ea tantum comprehendantur quæ ad officium jurantis pertinent; juramentum enim non obligat ultra intentionem illud emittentis; sed qui suam obedientiam vel fidelitatem alicui sub juramento obstringit, eam promittere non intendit nisi in ordine sibi proprio, v. g., episcopus obligationem sibi non imponit officia magistratus implendi, nec magistratus officia militaris, etc.

12° Magna quæstio est an juramentum, ex metu injuste incusso ad illud extorquendum emissum, obliget coram Deo: plures negant, quia promissio sic jurata irrita est vel rescindibilis; sed alii multo plures longe communius et probabilius affirmant. Rationes eorum sunt 1° auctoritas juris canonici: in *Decretal.*, l. 1, tit. 24, de Jurejurando, cap. 15, dicitur Ecclesiam solere a juramento per metum extorto absolvere, et tamen non dicitur licitum esse eis qui sic jurant *ut juramenta non servant*. 2° Tene-mur efficere propter honorem Dei, ut quod juravimus fi-

deliter præstetur: ergo, etc. Ita *S. Th.*, 2 2, q. 89, art. 7 ad 3.; *Bonacina*, *Lessius*, *Suarez*, *Viva*, *Ligorius*, etc. Notant autem eum qui passus est metum et sic juravit, dispensationem ab episcopo sollicitare, vel rem jam solutam in judicio repetere posse, quia juramento satisfecit, et dominium reipsa non transtulit. De hoc specialiter dicemus in *Tractatu de Contractibus*, ubi de promissione cum juramento.

13° Si juramentum errore vel dolo fuerit extortum, attendendum est an error vel dolus redundet in substantiam rei, ad sensum in *Tractatu de Contractibus* explicatum, an tantum in accidentia. In priori casu, non obligat juramentum, quia nulla est promissio cui apponitur; in posteriori casu valet, propter rationem oppositam.

14° Juramentum in favorem tertii emissum semper obligat, quoties impleri potest sine peccato, etiamsi promissio cui annectitur esset jure positivo irrita. Ita *Sanchez*, qui asserit hoc apud omnes esse certum: unde qui promissit et juravit se soluturum esse usuras, eas solvere tenetur, etsi promissio jure sit nulla, sed eas absque injustitia repetere posset. Excipitur si irritatio ob bonum commune instituta esset, quia juramenti impletio illicita foret. Vide quæ dicuntur in *Tractatu de Contractibus*, 1 part., cap. 5.

15° Quæruntheologi an juramentum alteri juramento oppositum sit validum, et distinguunt, dicentes: Si juramentum alteri opponitur in actu jurandi, v. g., si quis juraverit se nunquam juraturum, et tamen juret se jejunaturum, se eleemosynam daturum valet posterius juramentum licet fuerit illicitum, quia ipsius materia est licita et bona; si vero sit oppositum in ipsa jurationis materia, v. g., Petrus juravit Paulæ se eam ducturum et deinde idem jurat Annæ, posterius juramentum est nullum, quia est de re illicita.

§ VI. — De interpretatione juramenti.

Ubi de intentione jurantis constat, nulla interpretatione opus est, sed promissio jurata in simplicitate exsequenda est.

At sæpe contingit ut exurgat dubium circa juramenti extensionem, an scilicet hi vel illi casus sub eo comprehendantur : tunc genuinus illius sensus exquirendus est, et sequentes statuuntur regulæ.

PRIMA REGULA. Juramentum explicandum est juxta naturam actus cui adjungitur ; obligationem enim illius firmat vinculum religionis ei addens, sed objectum ejus non mutat : easdem igitur conditiones, interpretationes et exceptiones admittit. Unde qui sponsalia juravit non magis ea servare tenetur, sponsa fornicante, quam si non jurasset ; qui juravit se soluturum quod debet, juramentum implet justa utendo compensatione, modo ei non renuntiaverit. Fieri tamen potest ut contractus sit nullus, et valeat juramentum, si nempe jurans juri suo renunciare potuerit et voluerit.

SECUNDA REGULA. Juramentum in dubio stricte interpretandum est, id est, in favorem libertatis, tum propter gravem religionis obligationem quam continet, tum propter perjurii periculum : quod verbis aperte non expressum est, censetur omissum. Sic eruitur ex Decretal., l. 5, tit. 40, cap. 19 ; ex Sexto, l. 2, tit. 1, cap. 1, et ex regula juris 15, *Odia restringi*, etc. ; et ita sentiunt communiter doctores, ut videre est apud *Suarez*, l. 2, cap. 32, n. 7, *Ferraris*, verbo *Juram.*, art. 3, n. 1, *Collet* et *Billuart*. Hinc inferunt theologi :

1º Juramentum servandi statuta alicujus communitatis intelligendum esse de iis quæ vigent aut necessario vigere debent, non vero de iis quæ abrogata sunt, nec de iis quæ nondum prodierunt, nisi contrarium aliunde constet, Decretal., l. 2, tit. 24, cap. 35. Inde et ex n. seq. concipitur sensus juramenti Chartæ constitutionali et legibus, olim apud nos et nunc etiam in pluribus regnis, præstiti.

2º Eum qui alteri juravit obedientiam, non teneri ad illicita, nec ad impossibilia, nec ad nimis gravia quæ in ipsius intentione verisimiliter cadere non potuerunt. Sic ipse *Collet*.

3º Episcopum qui juravit se bona Ecclesiæ non esse alienaturum, non peccare si ea, justa de causa et servatis

a jure præscriptis, in pias causas impendat, Decretal. l. 3, tit. 48, cap. 6.

4º Ei qui juravit residentiam, licitum esse non residere in casibus a jure permissis, ut habetur in Decretal., l. 3, tit. 4, cap. 13, quia tunc censetur præsens.

5º Juramentum servandi leges intelligendum esse secundum morem eas interpretandi, ita ut obliget sub gravi, vel sub levi, vel sub pœna tantum, sicut ipsæ leges et non ultra, obligationi naturali addens vinculum religionis. Ita *Syloius*, *Layman*, *Billuart*, etc.

6º Juramentum de servandis sub secreto eis quæ in capitulo, in concilio, in aliave congregatione noscuntur, intelligi debere secundum naturam rei, ita ut circa materiam gravis momenti obliget sub mortali ; circa materiam levem, sub veniali ; circa materiam nullius momenti, sub nulla culpa. Ita *Syloester*, *Layman*, *Billuart*, etc.

TERTIA REGULA. In omni juramento, præter limitationes ab ipso jurante appositæ, quædam subintelliguntur conditiones sive ex natura rei, sive ex dispositione juris, sive ex communi hominum sensu fluentes, ut ex Decretal., l. 2, tit. 5, cap. 25, eruitur et generaliter docent auctores. Illæ conditiones subintellectæ sunt :

1º *Si potero*, seu *quantum in me erit*, id est, si jurata non fiant illicita, impossibilia, difficilia aut nimis gravia, seu cum ea difficultate quæ prævisa juramentum emittere verisimiliter impediisset.

2º *Salvo jure et auctoritate superioris* : sic expresse habetur in Decretal., l. 2, tit. 24, cap. 19, ubi legitur : *In quo (juramento) debet intelligi jus superioris exceptum* ; et ratio hoc sufficienter dictat.

3º *Nisi is in cujus gratiam juratur sponte remiserit*, quia liberum est unicuique juri suo renunciare, et tunc obligatio juramenti subsistere non potest ; repugnat enim dari obligationem beneficium alteri invito conferendi.

4º *Si res in eodem statu permanserint*, id est non fuerint notabiliter mutata : nam verisimile non est jurantem habuisse intentionem se in eo casu obligandi, et id colligitur ex pluribus capitibus juris, præsertim ex Decretal., l. 2, tit. 24, cap. 16, 17, 25 et 31.

5^o *Si altera pars fidem servaverit*; quia, ut fert adagium regula juris 75 fundatum, *frangenti fidem non debetur fides*. Unde princeps, qui pace inita cum inimico, juravit se conditiones illius servaturum, juramento non tenetur si adversarius novam dederit causam belli.

6^o *Si non adsit ratio sufficiens propositum mutandi*; quia juramentum promissioni, contractui vel proposito adjunctum, naturam ejus non mutat, ut jam diximus et omnes fatentur. Hinc qui juravit se ante alterum domum non ingressurum, non sessurum, non bibiturum, etc., contra juramentum non peccat, si coactus cedat, quia sufficiens adest ratio propositum mutandi. Sic *Bonacina, Sanchez, Lessius, Busenbaum, etc.*

§ VII. — De cessatione obligationis juramenti.

Juramenti obligatio vere contracta tolli potest per sequentes causas, nempe circumstantiarum mutationem, causæ finalis cessationem, irritationem, remissionem, dispensationem et commutationem.

1^o *Per circumstantiarum mutationem*, videlicet, 1^o si quod bonum erat tempore juramenti, factum fuerit illicitum, vanum, majoris boni impeditivum, et melius sit illud omittere quam facere; 2^o si status rei notabiliter fuerit mutatus, v. g.: jurasti te aliquem puniturum: supplici et veniam petenti condonare potes absque perjurio; 3^o si res jurata facta fuerit ad finem intentum inutilis, v. g., si ex correctione filii prævideatur illius obstinatio, obduratio, uxoris imprecatio, ira, etc., vel si pœna jurata felicem exitum habere non debeat: hæc ex jam dictis sufficienter intelliguntur.

2^o *Per causæ finalis cessationem*; tunc enim intelligitur obligationem promissionis subsistere non posse: ergo nec vinculum juramenti. Unde promisisti cum juramento te daturum elemosynam tali pauperi qui factus est dives, te domum talis mulieris tibi periculosæ non ingressurum, et illa moritur, etc., jam non teneris juramento. Secus si sola causa impulsiva cessaret. Hæc patent et apud omnes habentur ut certa.

3^o *Per irritationem*. Duplex distinguitur irritatio, una directa et altera indirecta. Directa ea est quæ fit ab habente potestatem in voluntatem jurantis, et indirecta, quæ fit ab habente potestatem in materiam juramenti.

Nemo per juramentum alterius jura transferre aut lædere potest, alioquin juramentum esset vinculum injustitiæ.

Unde 1^o Pater et tutor quæcumque pacta jurata impuberis, juxta sententiam communem, directe, vi potestatis suæ naturalis, irritare possunt, quia impubes non censetur capax obligationem sibi, sine patris aut tutoris consensu, imponere. Ita *Covarruvias, Suarez, Layman, Lessius, Ferraris, etc.* Defectu patris et tutoris, mater juramenta et vota impuberis irritare potest. Ita *Suarez, Henno, Sponner et Ferraris, art. 8, n. 30.*

2^o Si materia alterius dominationi subjecta cum juramento fuerit promissa, dominus actum jurantis indirecte potest irritare. Hinc filii-familias juraverunt se elemosynam de bonis paternis duros, uxor de bonis communibus, vel se ad talem ecclesiam aut capellam peregrinuros; pater et maritus hæc juramenta irritare possunt.

4^o *Per remissionem*; id est, si iis in cujus gratiam emissum est juramentum, debitum remittat, obligatio juramenti cessat, quia beneficium non confertur invito: jura vero tertii sic remittere non posset, ut patet. Unde si duo mercatores jurassent se partem mutui beneficii pauperibus erogaturos esse, tale juramentum sibi remittere non possent.

5^o *Per dispensationem*. Existere in Ecclesia potestatem relaxandi juramenta, per dispensationem seu vinculi abolitionem, constat 1^o ex verbis Christi apud Matth. XVIII, 15: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo*, quæ cum generalia sint, ad omne vinculum spirituale extenduntur; 2^o ex constanti usu et praxi Ecclesiæ, quæ privilegio infallibilitatis gaudens, in re tanti momenti errare non potuit sibi arrogando potestatem quam non habuisset.

Hanc potestatem habet summus Pontifex per totam Ecclesiam, et episcopus in sua diœcesi, exceptis materiis

summo Pontifici reservatis, de quibus infra dicemus agendo de votis reservatis. Eandem ac episcopus habent potestatem vicarii capitulares, sede vacante.

Dispensatio non efficit ut juramentum existens non obliget, quod esset contra jus divinum naturale et positivum; sed vinculum spirituale nomine Dei solvit, et tunc juramentum amplius non existit.

Juramentum in favorem tertii emissum et promissioni ab eo acceptatæ junctum, ordinarie relaxari non potest per dispensationem, quia ille cui juratum est, per promissionem factam et acceptatam verum acquisiit jus quo invitatus privari non potest. Ita *S. Th.*, 2 2, q. 89, art. 9 ad 3, et communiter theologi.

Diximus *ordinarie*, quia nonnulli occurrunt casus in quibus tale juramentum relaxari potest, nempe 1° si bonum commune id postulet; bonum enim particulare seu privatam bono communi cedere potest, et hoc judicium ad summum Pontificem maxime pertinet, ut communiter aiunt doctores, cum *S. Th.*, 2 2, q. 89, art. 9 ad 3. Aliquando tamen potest episcopus, juxta causarum qualitatem, relaxare juramentum alteri præstitum, propter bonum commune, v. g., juramentum malefactorem non denunciandi, non accusandi, etc. Ita *Sylvester*, *Suarez*, *Layman*, *Ferraris*, etc. 2° In pœnam criminis ab eo cui præstitum est juramentum commissi. Sic in Decreto, 2^a part., causa 25, q. 6, can. 4 et 5, expresse declarant Gregorius VII et Urbanus II juramentum fidelitatis non esse servandum excommunicatis quoadusque ad satisfactionem veniant; nulla enim ratione repugnat Ecclesiam a sancto Spiritu directam habere potestatem hujusmodi pœnas subjectis per modum salutaris pœnitentiæ infligendi, ut eos ad resipiscentiam adducat. 3° Ratione gravis injuriæ juranti illatæ, sive ab eo cui præstitum est juramentum, sive ab aliis ei adhærentibus, quia, v. g., juramentum ab eo per dolum, vim aut metum fuit extortum; is enim in cujus gratiam tale juramentum fuit extortum, injuriam quam passus est jurans reparare tenetur ex justitia: non habet ergo jus strictum rem sub juramento pro-

missam exigendi. Unde vinculum juramenti est tantum religiosum: ergo potestate ecclesiastica solvi potest. Ita *Suarez*, *Layman*, *Ferraris* et communiter alii, dicentes hujusmodi juramentum relaxari posse ab episcopo vel alio prælato jurisdictionem quasi episcopalem habente.

Dicunt insuper judices sæculares tale juramentum indirecte relaxare posse, remittendo, nomine illius cui juratum est, obligationem solvendi, quam ipse remittere deberet. *Ferraris*, verbo *Juram.*, art. 3, n. 35.

6° *Per commutationem*. Commutatio juramenti in eo consistit ut sub eodem religionis vinculo una materia alteri subrogetur, et sic differt 1° ab irritatione, qua tota obligatio juramenti sine causa et pro semper tollitur; 2° a dispensatione, qua eadem obligatio relaxatur etiam pro semper, sed non sine legitima causa: superior enim valide dispensare non potest, sine justa causa, a juramento. Commutatio autem vinculum juramenti non tollit, sed tantum materiam ejus mutat. Si tamen materia Papæ reservata in materiam non reservatam mutaretur, tunc reservatio amplius non existeret.

Juramenta in honorem Dei facta proprio jurantis arbitrio in rem evidenter meliorem mutari possunt, quia Deus quod evidenter melius est gratum habet; v. g.: jurasti te quinque *Pater* et *Ave* in honorem Dei recitaturum; hoc juramentum in recitationem coronæ quinque *decanarum* mutare potes. At mutari non possunt in rem minorem, nisi ab eo qui habet potestatem dispensandi, siquidem hujusmodi mutatio est sub aliquo respectu vinculi relaxatio.

Juramenta in favorem tertii mutari nequeunt neque in rem meliorem, neque in deteriorem, sine consensu illius qui per illa jus acquisiit, exceptis casibus boni publici, justæ punitionis aut gravis injuriæ supra memoratis: *idque patet ex dictis*.

Queritur 1° quid sentiendum sit de sociis dictis *Francis-maçons* et de juramento apud eos usitato?

R. 1°. Prima hujus generis societas secreta, gallice *loge*, instituta fuisse videtur in Gallia, anno 1725, a *Derwent-Water* et aliis quibusdam Anglis. Aliæ postea variis in lo-

cis prodierunt, sub directione unius præfecti generalis vocati *grand-maître* vel *grand-orient*. Hæc dignitas collata fuit anno 1738 viro nobili, *le duc d'Antin*, et anno 1741 *au comte de Clermont*, ex sanguine regio et stipite Condantensi (*de Condé*): deinde fere semper aliis viris ortu, statu sociali vel divitiis insignibus.

Istiusmodi socii, dicti *Francs-maçons*, valde multiplicati sunt per omnes Europæ regiones, in America et in aliis mundi partibus. Prætendunt se ortum habuisse a quodam Adonhiram, tempore Salomonis existente; sed probabile est eos ultra bella sacra, *les croisades*, non ascendere, et sic incepisse: Christiani inter Sarracenos dispersi nonnulla instituerunt signa quæ sub altissimo secreto servabant et quibus sese in omnibus circumstantiis agnoscere possent. Quoniam in primis sibi proponebant ecclesias ab infidelibus destructas reædificare tempore opportuno, vocari voluerunt *muratorii*, et nomina sua symbolica ab architectura ut communius desumpserunt. Dicti sunt *franci* seu *liberi muratorii*, vel quia plerique erant e Francia, vel quia liberi esse volebant, et in sua societate a qualibet auctoritate independentes.

Novos non admittunt socios nisi eos bene noverint, diu probaverint, et sub terribilibus juramentis ab eis exigunt promissionem nunquam revelandi ea quæ didicerint; eos per diversos gradus ascendere faciunt, et per pauci plenam secretorum notitiam obtinent. Omnes tamen initiati communia habent signa quorum ope per mundum universum sese agnoscere possunt, et quæ nulli profano manifestare possunt.

Ex multis documentis infertur has societates nunc merum profiteri deismum, omni religioni revelatæ esse infensas et maximam velle independentiam ab omni auctoritate spirituali ac temporali, sub prætextu quod omnes homines natura sint æquales et velut fratres vivere debeant.

Aliæ sunt societates secretæ his similes vel affines vel conjunctæ, et tantum diversis nominibus designatæ, *illuminati* in Germania, *carbonari* in Italia, *radicaux* in Anglia, *communeros* in Hispania, etc.

R. 2º. Summi Pontifices Clemens XII, per bullam *In eminenti*, diei 28 aprilis 1738; Benedict. XIV, per alteram bullam *Providas Romanorum pontificum*, prohibuerunt « ne quis sub quovis prætextu aut quæsito colore adeat vel » præsumat prædictas societates inire, vel propagare, con- » fovere aut in suis ædibus seu domibus vel alibi receptare » atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, » vel potestatem seu commoditatem facere ut alicubi con- » vocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, » auxilium vel favorem, palam aut in occulto, directe vel » indirecte, per se vel per alios quoquomodo præstare, » nec non alios hortari, inducere, provocare aut suadere » ut hujusmodi societatibus adscribantur, annumerentur, » seu intersint, vel ipsos quomodolibet juvent ac foveant; » sed omnino ab iisdem societatibus, cœtibus, conventi- » bus, collectionibus, aggregationibus seu conventiculis » prorsus abstinere se debeant, sub pœna excommunica- » tionis per omnes, ut supra, contrafacientes ipso facto » absque ulla declaratione incurrendæ, a qua nemo per » quemquam, nisi per nos, seu Romanum pontificem pro » tempore existentem, præterquam in articulo mortis » constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere. » Sunt verba Bened. XIV. Pius VII, die 10 septemb. 1821, et Leo XII, die 3 martii 1826, eandem prohibitionem sub iisdem pœnis renovarunt.

Rationes hujus prohibitionis sunt: 1º temeritas juramenti super ignota emittendi; 2º legitima suspicio perversi finis ab his societatibus nunc intenti; 3º inviolabile secretum quo singuli socii se astringunt non revelandi quæ viderint vel audierint etiam auctoritati legitime interroganti.

Notandum constitutiones Pontificias supra recensitas in Gallia non fuisse publicatas, ac proinde excommunicationem non incurri, et quemlibet sacerdotem approbatum ab eo peccato absolvere posse. Attamen exigendum est a pœnitente ut tales societates non ingrediatur, et ingressus eas deserat.

Queritur 2º quid sentiendum sit de juramento quo se obstringunt socii artifices dicti *Compagnons du devoir*.

R. P. *Le Brun*, in sua *Historia superstitionum*, t. 4, refert quod ad recipiendos novos hujusmodi socios multæ adhibeantur cæremoniæ impiæ, supersticiosæ, sacrilegæ, sanctissimorum religionis Christianæ mysteriorum derisorie, v. g., Passionis Domini nostri Jesu Christi, Baptismi, sacrificii Missæ simulationes; recipiendi jurant super sancta Evangelia et per suam partem paradisi se nunquam esse revelaturos, ne quidem in confessione, ea quæ visuri vel audituri sunt.

Subjungit idem auctor plures Sorboniæ doctores, hac de re consultos, post maturum examen, declarasse, die 14 martii 1645, neminem posse, sine peccato mortali, in has societates intrare, in iis manere, vel se tanquam earum membrum ostendere; imo teneri sub peccato mortali ea nefanda secreta iudicibus ecclesiasticis et etiam civilibus revelare, si prævideat quod talis revelatio ad ea abolenda inservire possit.

Si ergo socii, vulgo *Compagnons du devoir*, tribunal sacrum adcant, interrogandi sunt circa juramentum quod præstiterunt et cæremonias quarum fuerunt testes vel participes: non obstante suo juramento, respondere tenentur. Ex hypothese quod præfatas superstitiones et sacrilegas simulationes confiteantur, decisio doctorum Sorbonicorum et P. *Le Brun* eis applicanda est: si vero, ut pluries evenit, contendant se nihil omnino vidisse nec audisse religioni aut bonis moribus adversum, sed tantum signa et officia mutue charitatis vel assistentiæ, revelatio secreti exigi non potest, nec absolutio eis deneganda est; nam fides adhibenda est pœnitenti, quoties evidenter non constat illum decipere velle.

Queritur 3º an qui juravit se non revelaturum remedium quod novit sub secreto, juramentum servare teneatur.

R. Si revelatio in detrimentum alicujus personæ vel familiæ vergeret, sine utilitate publica, juramentum illud servandum esset, ut non obscure patet: secus, certe non obligaret, quia repugnat juramentum contra bonum publicum obligare: tunc enim esset vinculum iniquitatis.

§ VIII. — De adjuratione.

1º Adjuratio est interpositio Dei vel rei sacræ, cujus reverentia aliquem ad aliquid præstandum movere intendimus. Deum igitur non adducit in testem, ac consequenter a juramento essentialiter differt.

2º Duplex distinguitur adjuratio, una deprecativa, quæ fit per preces, v. g., *Obsecro vos per misericordiam Dei*, Rom. XII, 1, et altera præceptiva, quæ fit cogendo, v. g.: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei*, Matth. XXVI, 63.

3º Primus modus exercetur respectu Dei, superiorum et æqualium; aliquid enim per eos rogare possumus. Si per Deum, est actus patriæ; si per Sanctos quatenus attributa Dei in eis relucent, est etiam indirecte actus patriæ; si vero per Sanctos ut tales, est actus duliæ, et si per B. Virginem Mariam, hyperduliæ; si per alios homines, est duntaxat actus civilis. Secundus modus exercetur respectu inferiorum et dæmonum: iis solis imperare licet.

4º Creaturæ irrationales secundum se adjurari non possunt, quia deprecationis vel imperii suscipiendi non sunt capaces: quatenus vero ab alio moventur, utroque modo adjurari possunt, vel eo sensu ut Deus aut Sancti exorentur, vel eo sensu ut dæmoni imperetur: v. g., sol, aqua, nubes adjurantur, ut Deus his rebus utentibus assistat; vel altera intentione, ut diabolus ab eis abscedat, aut per eas nocere non præsumat.

5º Duplicis generis sunt adjurationes, aliæ quippe solemnes, et aliæ privatæ. Solemnes eæ sunt quæ fiunt nomine Ecclesiæ contra dæmonum infestationes, et vocantur exorcismi, de quibus supra, p. 223 et seq. diximus ac solis episcopis reservantur. Privatæ vero non reservantur et unusquisque eas adhibere potest, modo tres adsint conditiones, sicut in juramento, nempe veritas, justitia et iudicium: 1º veritas, id est ut adjurans obtinere intendat quod petit, et vera sit causa ob quam petit; communiter tamen docent theologi carentiam hujus conditionis raro peccatum veniale excedere; 2º justitia, id est, ut res petita sit

licita : si enim graviter illicita esset, eam per adjurationem petens graviter peccaret; si leviter esset mala, eam petens venialiter peccaret, juxta *Salmanticenses*, *Sporer*, *Suarez*, *Bonacina*, *Sanchez*, etc., et mortaliter juxta *Elbel*, quem *S. Ligorius* citat et sequitur, quia gravis videtur irreverentia alterum per adjurationem Dei ad rem malam inducere; 3° judicium, id est conveniens discretio, qua deficiente, adjuratio est peccatum veniale, et non ultra, ait *S. Ligorius*, Appendice de Adjur., l. 3, post n. 183.

6° Dæmones nunquam adjurari possunt modo deprecativo, quia fieret cum ipsis associatio omnino prohibita, I Cor. x, 20 : *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*; sed duntaxat modo imperativo, ad amovenda damna ab eis illata vel inferenda. Hinc communiter dicunt auctores a culpa gravi excusari non posse qui cum dæmone obsidente inutiles habet sermones, et aliud ab eo quærit quam quod ad ejus expulsionem conducit.

ARTICULUS TERTIUS.

DE VOTO.

Votum, secundum vim nominis, plures habet significationes : scilicet 6° sumitur pro desiderio vel proposito, ut in Prov. xxxi, 2 : *Quid dilecte votorum meorum?* et in Canone missæ, *Tibique reddunt vota sua*; quo sensu dicitur Baptismus in voto, id est in desiderio; 2° accipitur pro suffragio in electionibus, in conciliis et in aliis cœtibus deliberantibus; 3° significat promissionem Deo factam. De voto sub hoc respectu accepto nobis disserendum est, et illud cum omnibus theologis definimus : *Promissio deliberata Deo facta de meliori bono.*

Dicitur 1° *promissio*, id est, sincera voluntas se obligandi; et sic votum essentialiter differt a proposito, quia propositum quantumvis firmum, vinculum obligationis non producit, et illius omissio non est peccatum, nisi propter animi inconstantiam, tædium aut negligentiam, et tantum est veniale peccatum.

Dicitur 2° *deliberata*, quia promissio subita et inconsi-

derata ad rationem voti non sufficeret : tanta requiritur advertentia, libertas et voluntatis consensus, quanta est necessaria ad peccandum mortaliter. *Ita communiter doctores.*

Dicitur 3° *Deo facta*; sola enim promissio Deo facta rationem voti habet et nomen retinet, secundum omnes Patres et doctores, theologos et canonistas. Unde promissiones B. Mariæ et Sanctis factæ non sunt vota, nisi quatenus primario factæ sunt Deo in honorem Sanctorum, vel coram Sanctis ut testibus, advocatis et intercessoribus. Unde qui vovet capellam vel statuam B. Mariæ, censetur eam vovere Deo in honorem B. Mariæ, et sic de cæteris.

Dicitur 4° *de meliori bono*, quia promissio Deo facta non est valida nisi a Deo acceptetur : Deus autem acceptare non potest, ut sibi gratum, actum malum vel indifferenterem. Unde votum nubendi, saltandi, ludendi, ambulandi, etc., esset nullum, nisi forte aliqua speciali circumstantia efficeret ut talis actus respectu alicujus individui melior esset opposito, v. g., susceptio prolis ad bonum publicum, deambulatio propter sanitatem.

Votum multipliciter dividitur, nempe :

1° *In reale, personale et mixtum.* Reale est illud quo aliquid in se subsistens a persona distinctum promittitur, v. g., calix, statua. Personale est illud quo actio duntaxat promittitur, v. g., jejunium, castitas. Mixtum rem et actionem simul complectitur, v. g., votum visitandi ecclesiam Loretanam et ibi calicem offerendi.

2° *In temporale*, v. g., servandi castitatem per quinque annos, et *perpetuum*, puta, nunquam bibendi vinum per totam vitam.

3° *In explicitum*, quod positivis verbis exprimitur, et *implicitum*, quod actioni libere factæ annectitur, ut votum castitatis susceptioni subdiaconatus ordinis annexum.

4° *In absolutum, conditionatum et pœnale* : absolutum a nulla conditione pendet, ut votum jejunandi, coronam recitandi, castitatem servandi; conditionatum illud est quod sub aliqua emittitur conditione, v. g., puella vovet religionis ingressum si a tali periculo liberetur, vel tot